



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

De mechanicis quibusdam experimentis. Cap. X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

QVAEDAM extant non spernendæ subtilitatis experimenta, ab omni mixturæ additamento secreta, quæ non iniucunda fore putauimus ingeniosis & artificibus. Extat artificium, quod aliquibus

Draco volans,

Vel cometæ sydus dicitur. Cuius talis sit constructio. E subtilioribus harūdinum paxillis quadrangulum constituatur, vt longitudo latitudini hemiolia sit proportionis: diametri duo, & ex oppositis partibus, vel angulis immittantur, quarum intersecatione funiculus ligetur, & eiusdem quantitatis cum duobus alijs iungatur è capitibus machinæ prouenientibus. Sic papyro, vel subtili lino obtegatur, ne quid graue in ea sit: inde è turris, montis, vel altioris loci fastigio æqualibus, & vniformibus ventis credenda, non validis ne disrumpatur machina, nec leuibus, nam si vndique silebit aura, eam non sublimat, ventorumque segnitie irritum facit laborem. Ipsa recto non incedat tramite, sed obliquo, quod efficit funis tractus è capite vno ex altero, longa cauda, quam è restibus effinges æquidistantibus, & papyris passim religatis, sic leui tractu immissa, artificis manibus committenda, qui nec segniter, nec oscitanter, sed valide impellat, & sic volitans carbasus aera petit, vbi paululum fuerit eleuatus (hic enim ex domorum anfractu disruptus est ventus) vt vix manibus compesci, vel retineri queat. Laternam aliqui supra locant, vt cometa videatur, sclopum alij charta, & pyrio puluere inuolutum, & quum in aere quiescit, immititur per restim accensus funiculus, annulo, vel lubrico aliquo: statimque velum petens, ignem ori admouet, maximoque tonitru in plures machina dissilit partes, & ad terram procumbit. Ælurum aliqui, vel catulum ligant, ac per aerem immissas auscultant voces. Hinc auspicari poterit ingeniosus principia, quonam pacto & homo volare possit,

Coll. Soc. Jesu Paderb. 1655.

ingentibus alis cubito, & pectori deligatis, eas
autem à pueritia paulatim iactare assuescat, loco sem-
sem sublimiori. Quod si quispiam id mirum putabit, a-
spiciat ea, quæ Archytam Pythagoricum commentum
se, atque fecisse tradunt. Plerique enim nobilium
Græcorum, & Phauorinus Philosophus memoriarum
veterum exequentissimus, affirmatissime scripserunt,
simulachrum columbæ è ligno ab Archyta ratione
quadam, disciplinaque mechanica factum volasse, ita
erat scilicet libramentis suspensum, & aura
spiritus inclusa, atque occulta
concitum.

F I N I S.

